



[Faint, illegible handwriting on a large sheet of paper, possibly bleed-through from the reverse side.]

1.
1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.



1736.

1. Bacmeister, Iohannes: De vi, quod sanitati obest
circa diactem maxime in alicis
2. Harpprechtus, Christophorus Fridericus: Observationes
juridicae miscellae.
3. Characholus, Daniel: De certitudine praesertim medica.
p. hysica.
4. Manchesius, Marcus deus: De inspectione et sectione
legali harumque exemplo speciali.
5. Hueyting, Jacob. Fridericus: De iure, modoque attendi
servitutibus ~~et~~ rusticis.
6. Pfaffius, Christoph. Matthaeus: De nullitate sacramenti
in matrimonio et reliquisque sacramenti in decisione
causarum matrimonialium apud protestantes.
7. Schaefferius, Waeffroy Adamus: De remissione collationis
Germ. Von Ekkelichen Nachlass der Ekkel-Gleichstellung unter
Kindern.

1736.

8. Fricke, Johann Casparus: De differentis nominalis
juri communis et statutarii Alimensis in processu
concursum creditorum

1737.

1. Harpprechtus, Christophorus Tidoricus: De usufructu
ac dominio utili.

2. Pfaffius, Christoph Matth.: De vizaniis non excellentes
ad Matth. XIII. 24 seqq. sive de tolerantia diversa
sunt in eodem territorio religionum adversus
Jo. Petri Baumgarte dimutationem.

3. Rumpius, Guntbertus Albertus: Fura rei uxorie et
normam societatis bonorum conjugalium exacta.

4. Schoepflin, Waffinger Adamus: De infantis idio sane.
sum To.

5. Schoepflin, Waffinger Adamus: De quaestione circa
matrem retractus.

6. Hirschfeld, Dr. Albrecht: De constitutione atque administratione
Plato
nica -

1737.

6. Heinstaphius, Moricus: De constitutione atque
administratione civitatis Peabonica

1738

1. Gurlach, Christophorus David: Lex frater a fratre 38 pp.

2. 1. em. dicit. indeb. noviter ac ditius explicata.

2. Halmachius, Michael: De factorum, quibus
vis metusve visum praebent, sanobitate
ac firmitate.

1739.

1. Harpprechtus, Christophorus Fidericus: Observationes juris
Nicae nicae.

2. Heffersichius, Johannes Laurentius: De independenti
juris circa sacra statuum ordinemque imperii Germanici
Evangelicorum in hunc Imperatoris et imperii. 2. Graft.

3. Haffius, Christoph Matthaeus: De vera ecclesiae
natione variorum illius spectibus.

1739.

4. Pfaffius, Christophorus Metallinicus: De eo, quod justum
est circa reformationem sacerdotum maxime in Germania

1740

1. Maihelius, Daniel: De gemina dominici naturae
deque ejus diversis acquirendi modis praesertim
derivativis.

2. Muehlingius, Johannes Fridericus: De contractu ad
candelam.

3. Schwepffius, Wolfgangus Blaunus: De basis universi-
tatis, quae Germanice vocantur Ullmann den-

hina

aus

ab

er


t

in









Q. D. B. P.

DE

1736, 6.
6

NULLITATE
SACRAMENTI
IN MATRIMONIO

ET

RELIQUIARUM SACRAMENTI
IN DECISIONE CAUSARUM MATRI-
MONIALIUM APUD PROTESTANTES

PRAESIDE

CHRISTOPH. MATTHÆO
PFAFFIO,

S. Theol. Doct. & Prof. Prim.
Univ. Cancell.

ad d. Jan. Anno MDCCXXXVI.

disputabunt


M. CHRISTOPH. ALBERT. WINCKLER, Boebling.

M. FRIDERICUS HENRICUS DENZEL, Backnang.

S. Theol. Studiosi in illustri Stipendio.

TUBINGÆ,

Litteris SCHRAMMLIANIS.



NULLITATE
SACRAMENTI
IN MATRIMONIO

RELIGIARUM SACRAMENTI
IN REGIONE CATHOLICAE MATRI
MONACHUM ANNO PROTESTANTIS

CHRISTOPH. MATTHEO
PRAESIDI

S. Theol. Doc. & Prof. Prim.
Univ. Cancell.


Et S. Jan. Ann. MDCCLXXXI
disputavit

M. CHRISTOPH. ALBERT. WILHELM. BOENIG.
M. ANDRÉAS. HENRICH. DENZEL. BOENIG.

to find
Peters Schreyer


Handwritten notes

Vertical text on right edge



gang
dog
my
Luc
VI
io
my
alia
gra
ta
lig
def
got
Ap
fid
con





Eph. V. 32.

Τὸ μυστηριον τοῦ μέγα ἐστίν. ἐγὼ δὲ
λέγω εἰς χριστὸν καὶ εἰς τὴν Εκκλησίαν.



Ο' μυστήριον] Vox hæc designat in scriptis gentilium ritus & dogmata arcana & sacra, quibus initiati fuerunt μύσαι à μυσκαγωγῶσι. Descendit vel à μύειν, *initiare*, & *instruere in sacris*, vel μύειν, *commovere, niellare, occultare*, mysteria enim ista sacra occultari debebant profanis ex disciplinâ arcani. In sacris vox hæc designat rem arcanam rationi, ex solâ oriundam revelatione, sive sit dogma sive concernat fata Ecclesiæ futura. Ita Evangelium in genere mysterium est, subinde parabolis involutum Matth. XIII. 11. IV. 11. Luc. VIII. 10. Rom. XVI. 25. 1. Cor. II. 7. XIII. 2. Eph. I. 9. III. 3. 9. VI. 19. Col. I. 26. 27. II. 2 IV. 3. 1. Tim. III. 9. Ita in specie incarnationis Christi 1. Tim. III. 16. ita conversio Judæorum Rom. XI. 25. ita immutatio vivorum, quos dies postremus deprehendet 1. Cor. XV. 51. aliaque futura Ecclesiæ fata Apoc. X. 7. vocantur mysterium. Ita bona gratiæ, quæ dispensantur à Ministris Evangelii, verbum & Sacramenta dicuntur μυστήρια 1. Cor. IV. 1. Sed & effata, quæ alter non intelligit, hæc voce indigitari videas 1. Cor. XIV. 2. itemque e rem arcanam designatam per symbolum externum Apoc. I. 20. Jam & datur μυστήριον ἀνομίας, occulta malitia Antichristi & Babylonis mysticæ 2. Thess. II. 7. Apoc. XVII. 5. 7. Hoc loco unio mystica inter Christum & Ecclesiam sive fideles, qui mysticè & metaphoricè dicuntur corpus, membra, ossa ipsius comm. 30. dicitur mysterium, dogma arcanum rationi & paradoxum.

A

Quod



Quod restat, licet Græci sacramenta dicant *μυστήρια*, vox tamen hæc & latius ipsis patet. Vide Suiceri Theſ. Eccl. T. 2. col. 380. ſqq. Varias ejus acceptiones enarrârunt Caſaubonus Exerc. 16. in Baron. n. 43. p. 477. ſqq. Ravanelius in Biblioth. ſacrâ P. 2. f. 338. 339. & Tolandus in the Chriſtianity nor myſterious Sect. 3. Ch. 1. ſqq. p. 68. ſqq. ubi tamen hic errat plurimum, ſtatuendo, quòd myſterium nullibi dicatur, quod captum noſtrum ſuperat.

Ἦλο] Reſpicit hæc vox tum ad antecedentia, quæ Paulus de unionẽ myſticâ Chriſti & Eccleſiæ dixerat, tum ad conſequentia, queis offendit, ſe de unionẽ myſticâ hoc ipſum eſſari. In conjugio ut ſic ſpectato nulum myſterium eſt ratione rei ipſius ſed ſaltem ratione adjunctorum. Cæterum probè notandum eſt, *Ἦλο* non ſemper ad immediatè antecedens referri. Vide Act. I. 11. II. 23. IV. 11. 1. Joh. II. 22. monente Sauberto in Opp. poſth. p. 147.

Μέγα εἶναι] Vide in Schættgenii hor. Hebr. ad h. l. loca Judæorum *παράλληλα*, ubi idem dicunt cum Paulo, ut credibile ſit, nec Judæis tum temporis plane incognitum fuiſſe, quod Paulus hîc dicit.

Λίγω δὲ εἶναι] Ponitur hîc *εἶναι* pro *περὶ δε*, uti aliàs. Vide Act. II. 25. *Χριστὸν καὶ εἶναι Ἰὴν Ἐκκλησίαν*] Vide ſupra comm. 23. 24. 25. 28. 29. 30.

Ex textu hoc patet, I. unionem myſticam Chriſti & Eccleſiæ, nec minus II. matrimonium fidelium debere eſſe illius quandam adumbrationem, eſſe dogma quoddam Chriſtianismo proprium, quod nonniſi ex revelatione pateat. Conſert quippe Paulus conjugium cum unionẽ Chriſti cum Eccleſiâ monetque, ut, quemadmodum Chriſtus Eccleſiam diligit & hæc ipſi ſubjecta eſt, ita & Viri ament uxores & hæc Viris ſubjectæ ſint comm. 23. ſqq. Non determinat itaque his verbis, quid matrimonium etiam Chriſtianorum in ſe ſit, ſed quomodo comparatum eſſe debeat, & quænam Chriſtianorum conjugum ſint officia. Aſt & III. hinc ſequitur, clericos à conjugio non arcendos eſſe, typo unionis myſticæ.

Peccant ergò *in deſectũ*, qui exiſtimant, matrimonium à Chriſtianiſ tractandum eſſe ut *negotium merè civile*. Eſt enim illud *χῆρον civilem* habeat, habet tamen & *ſacram*, cum non uti alii ſtatus à Deo ſit inſtitutum, ſed Deus ſtatim hunc peculiaribus legibus de ipſius indit.

dissolubilitate gradibusque prohibitis limitaverit, cumque voluerit esse adumbrationem unionis mysticæ inter Christum & Ecclesiam adeoque notionem spirituales sic illi adjecterit. Unde & conjuges ipse dicitur conjungere Matth. XIX. 6. & testem agere inter illos Mal. II. 14. ad eò ut matrimonium appelleretur *sædus Dei* Prov. II. 17. eaque propter nuptiis *ἡμῶν* adscribatur Ebr. XIII. 4. quæ eò præstantior evadit, si conjugum animi spiritualiter quoque sint uniti in Domino ad mutuum sanctificationis, castitatis, precum adjutorium 1. Cor. VII. 39. 1. Tim. II. 15. Ejusmodi enim conjugium salutem pedissequam habet 1. Tim. II. 15. ita, ut ipsi quoque liberi ex eâ nati sanctificentur 1. Cor. VII. 14. Mixti itaque generis conjugium est. Unde, uti ad jura sacrorum absoluta, ita & ad jura sacrorum collegialia dispositiones matrimoniales spectare jam olim diximus. Nec est, quòd notus Lutheri locus nobis opponatur, cum in posterioribus scriptis aliter se explicaverit. Nec reliquias Papatûs nostra sententia sapit, cum ex fonte divino illam eruerimus. Vide J. H. von Eschwitz comm. de reliquiis Papatûs Ecclesiæ Lutheranæ temere affectis C. 8. p. 317. sqq. Unica est, quæ attendi meretur, objectio J. S. Strykii in exerc. de reliquiis Sacramenti in matrimonialibus C. 2. §. 4. ubi: *Omnes quæstiones, quæ occasione matrimonii moventur coram judice, sunt mero civile & seculares.* Respondemus, quæstiones de gradibus prohibitis, divortio, polygamiâ, concubinato eapropter mixtas esse, quod non saltem ex legibus civilibus sed vel maxime ex jure divino scripto h. e. sacris literis decidi debent. Quæ mero civilia sunt, ex mero jure civili determinantur.

In excessu verò peccant 1. qui existimant, ex h. l. patere, quòd conjugium primum Adami & Evæ fuerit typus unionis inter Christum & Ecclesiam. Mira hæc est Rad. Cudworthi sententia in libello de conjunctione Christi & Ecclesiæ in typo, quem in latinam vertit linguam ven. Moshemius ediditque ad calcem systematis intellectualis, atque refutavit tum in præfatione, tum in notis. Adde Basnagii hystoire des Juifs L. 3. Ch. 21. §. 4. p. 565. sqq. Si Adamus integer, Christi typus fuit, venisset, ita Picus Mirandulanus, ita alii, Christus, etsi homo non peccasset, licet haud venisset ut Messias. Sed sunt, qui negant in genere, Adamum sive integrum sive lapsum fuisse typum Christi. Ita per *τὸν μέλλοντα* Rom. V. 14. posteros Adami, intelligunt Augustinus & Knachtbullus, & 1. Cor. XV. 47. sqq. per *πρωτόν* &

& *ἀδάματον ἀνθρώπων* eundem Adamum, ex luto primum formatum, postea vero corpore spiritali instructum Thomaf. in diss. juridica de fundamentorum definiendi causas matrimoniales hæcenus receptorum insufficientiâ §. 109. fqq. p. 37. fqq. Non opus est, ad coactas hæc interpretaciones descendere. Sufficit, cum Glassio dixisse, inter Adamum & Christum II. cæ. saltem comparationem institui, quæ voce *ἄρα* generalius sumtâ innuatur. Vide Philol. Sacr. L. 2. P. 1. tr. 2. Sect. 4. art. 1. p. 315. Clericum ad Hammondum in I. Cor. X. 7. & Marcium in Syll. diss. ad sel. textus N. T. exerc. 17. §. 6. p. 493. fqq. Nec mover nos autoritas Judæorum antiquorum, qui Adamum dixere typum Messæ, adducta à Snabelio in diss. de Adamo Christi typo in amœnitatibus Theologiæ emblematicæ & typicæ p. 55. fqq. nec, quæ pro Adamo Christi typo contra Clericum dixit Jo. van den Honert in præf. ad Institutiones Theologiæ typicæ, emblematicæ & propheticæ, vel ipsius Parens T. H. van den Honert in diss. inaug. de utroque Adamo. II. qui putant, matrimonium esse *Sacramentum*, quæ Græcæ & Romanæ Ecclesiarum mens est. Dadum observavimus, vocem *Sacramenti* æquivocam esse. Si *Sacramentum* N. T. vocetur status à Deo institutus, qui sit signum rei spiritalis & annexam habeat gratiæ & spiritalis & corporalis promissionem, matrimonium quoque vocari *Sacramentum* poterit. Vide Apol. A. C. p. 271. 272. nostræ ed. & Confess. Wirt. p. 305. nostræ ed. ejusque Apol. f. 666. fqq. Isto quoque in generaliore sensu scripserit ill. Comes de Zinzendorf in der Vorrede über die Sammlung geistlicher Lieder p. 19. *Der Ehestand ist ein göttliches sichtbares Gnaden-Zeichen, daran unsichtbare Gnaden hangen.* Si verò *Sacramentum* N. T. sit actio sacra divinitus instituta, quâ mediante elemento externo & formulâ divinitus ordinatis gratia justificæ omnibus Christianis ad accipiendum hoc *Sacramentum* divinitus obligatis vel offertur vel confertur vel obsignatur, matrimonium non erit *Sacramentum*. Nec est, quòd ad Patrum hic provocetur loca, cum Patres voce *Sacramenti* in sensu planè generalissimo subinde utantur, & matrimonium *Sacramentum* appellarent, mox, quoniam adumbrat rem sacram, mox, quia per *Sacramentum* promissionis mutæ cohabitationis inviolabile initur. Ex voce verò *mysterii* *Sacramentum* exculpi non posse, ex supra dictis patet. Sufficit I. matrimonium & destitui elemento externo, quod materiam ipsius efficiat, & ab accipientibus *Sacramentum* diversum esse debet, itemque formâ *Sacramenti*. Jam enim in-

con



congruum est, dicere, vel consensum matrimonialem vel corpora conjugum materiam Sacramenti esse, prouti & incongruum est dicere, declarationem consensûs mutui esse formam Sacramenti, cum à consecratione illa quoque petenda foret, divinitus institutâ, quæ verò hic deficit. 2. matrimonium carere effectu sacramentali, qui est oblatio, collatio & oblatio gratiæ justificæ. Etsi enim sanctè illud sit ineundum & servandum & sic promissionem habeat gratiæ, tamen in hoc ipso convenit cum omnibus aliis statibus e. g. magistratu, cælibatu, &c. qui etiam sanctè gerendi sunt & annexam habent promissionem gratiæ, licet non sint Sacramenta. Quis, quæso, somniaret, per matrimonium conjugibus peccata remitti vel remissionem peccatorum confirmari, & quidem ex opere operato? 3. Sacramentum esse *actionem*, sed matrimonium *statum*. 4. Matrimonium etiam in V. T. existit, atque jam in illo adumbravit conjunctionem Christi & Ecclesiæ, ad quæ fuit signum rei sacræ, cum promissionibus gratiæ annexis, uti ex Ps. XLV. 9. sqq. Cantico Canticorum, Jes. LIV. 5. & Hof. II. 19. 20. patet. Itaque ergò matrimonium non potest esse Sacramentum N. T. proprium. 5. Matrimonium verum & extra Ecclesiam est. Itaque ad essentiam Matrimonii non pertinet Sacramenti notio. 6. Ad Matrimonium non obligantur omnes Christiani, uti ad baptismum & sacram cœnam. Ergò non est Sacramentum N. T. 7. Per Sacramenta procreantur spirituales liberi, at per conjugium saltem naturales. Unde & 8. Lombardus, Durandus, Canus, Cassander & alii ex Pontificiis eandem nobiscum sententiam defenderunt, Estiusque, Cajetanus, Vasquez, Jansenius, alii fententur, ex Eph. V. 32. non exsculpi posse, quòd matrimonium sit Sacramentum. Ita & 9. dissentiunt iidem in determinandis quæstionibus, num matrimonia V. T. infidelium & hæreticorum sint Sacramenta, Leone I. prius, Innocentio III. & Honorio III. posterius statutibus, à quorum tamen mente deinceps Concilium Tridentinum abiit. Nec comprehendi potest 10. quòd Pontificii statum conjugalem tantquam non parum impuritati admixtum habentem & cælibatum conjugio excellentiorem atque Clericis imponendum eosque à conjugio atcendos esse statuere possint & tamen matrimonium dicere Sacramentum. Taceo 11. eos circa materiam & formam hujus sacramenti dissentire, utpote quæ non dantur. Jam verò & 12. loca 1. Cor. VII. 7. 14. 1. Tim. II. 15. non probare, quòd matrimonium sit Sacramentum,

mox ostendemus. Confer Chemnitium in examine Concilii Tridentini P. 2. L. 14. ad Sess. 8. c. 1. & Gerhardum in Confess. Cathol. f. 1328. sqq. III. Qui existant, per matrimonium fidelium ut organum conferri gratiam sanctificantem, quâ & conjuges & liberi ex illis geniti sanctificantur, imò & salutem ipsam. Etsi enim, quod conjuges spectat, *χαρμοσα* castitatis à Deo ipsis conferatur 1. Cor. VII. 7. non tamen confertur per conjugium, tanquam medium illius adipiscendâ. Etsi etiam 1. Cor. VII. 14. dicatur, vitum infidelem sanctificari per uxorem fidem, imò & liberos è tali conjugio prodeuntes esse sanctos, tamen, non intelligitur hîc alia sanctitas, quàm quæ innuitur 1. Tim. IV. 5. eademque restricta. Sanctificantur quippe & conjux infidelis & liberi, quando Deo & vero ipsius cultui dicantur per preces conjugis fidelis, majorque sic gratiæ divinæ porta ipsis adaperita est 1. Pet. III. 1. liberique isti in Ecclesiâ nascuntur, baptisimi candidari, ipsumque matrimonium beneficio unius conjugis fidelis geritur in sanctitate 1. Thess. IV. 3. sqq. cum liberi infidelium falsis Dns & cultui falso dicati & membra sint cætus reprobi, eaque propter in contradistinctione ad liberos fidelium dicantur *impuri*. Et hanc sanctitatem *externam* nuncupare solent Theologi. Neque enim *internè* sanctificari conjugem infidelem & liberos tùm ex ipso termino infidelis, tùm & ex eo patet, quia & liberi fidelium conatum habent peccatum originale. *Externam* istam sanctitatem rejiciunt inter Reformatos Viringa & Venema, ille in observ. sacr. L. 2. C. 6. §. 25. sqq. refutatus eapropter à Marckio in fascic. diss. philol. exeget. in selectos textus N. T. exerc. 15. §. 9. sqq. p. 465. sqq. hic in diss. sacr. L. 2. C. 10. p. 376. sqq. L. 3. C. 5. p. 546. sqq. Præcipua Vitorum ratio est, sanctitatem externam legalem utpote & Leviticam ad V. T. pertinere, in N. T. nonnisi internam posci. Jam verò sanctitas ista *externa*, quam descripsimus, prouti à civili differt, secundum quam liberi legitimi dicuntur, & quæ planè hîc intelligi non potest, ita & alia à legali & Leviticâ est, adeoque media quædam inter Leviticam & internam species. Mirum est, Viringam, qui cum Cunæo dicit, flagris dignum esse, qui infantibus etiam fidelium fidem adscripserit, affirmare nihilominus, eos in statu gratiæ esse, & Spiritum S. in illis pro ratione capacitatis eorum operari, Venemamque idem affirmare atque sanctitatem *relativam* infantibus, qui in parentibus sanctis & ipsis sancti censeantur, adscribere, quam tamen & ipse haud distinctè explicat. Sed alius

alius est, quem urgent dissentientes, locus I. Tim. II. 15. ubi dicitur, quod ἡ γυνὴ σαρκῶσαι δια τῆς τεκνογονίας, εὖν μαινοσιν ἐν πίσει ἢ ἀγάπῃ καὶ ἀγαπᾶται μετὰ σωφροσύνης. Rectè observat hic Bellarminus de matrimonio sacramento L. I. C. 2. col. 1290. τὸ δὲ hic poni pro ἐν. Vide plura exempla apud Scultetum & Casaubonum in h. l. in Crit. Angl. Garakerum L. 2. adverb. miscell. C. 15. p. 350. & Glass. Phil. Sacr. L. 3. tr. 6. can. 9. n. 4. ita Rom. IV. 11. πιστῶτες δι ἀρεθῶσαι sunt fideles in præputio. Certè enim generatio liberorum non potest esse causa salutis. Num μαινοσιν ad mulierem sive mulieres, frequens enim est transitio à numero singulari ad pluralem vel numeri enallage, uti patet ex Gen. I. 26. Jos. III. 16. Eccl. VII. 30. Jes. XXV. 3. Joh. VII. 49. Act. III. 11. I. Tim. II. 9. 10. 11. Gal. VI. 1. Gatakerò ad Antonini L. 2. §. 4. p. 41. & Glass. Phil. Sacr. L. 3. tr. 3. can. 53. ubi & simile exemplum de mulieribus ex Jes. XLIX. 15. refert, vel ad maritum & uxorem, vel ad τεκνα referendum sit, disputant interpretes. Posterius dubium videri possit, cum fides liberorum parentes non salvet. Hinc τὸ σαρκῶσαι Venema l. c. L. III. C. 6. §. 25. p. 579. 580 interpretatur: causa salutis futura est, si gignat feliciter liberos, qui manserint in fide, uti Eva dicatur mater viventium. Alia est sententia Stübneri in diff. philolog. ad h. l. de beanda per partum uxore, vocem σαρκῶσαι designare: felix erit sc. mulier per procreationem liberorum, si nempe hi permanserint &c. id quod egregiè procederet, si σαρκῶσαι significaret felicem esse. Sensus est, mulierem in statu τεκνογονίας salvandam, si omni, quâ potest, opera liberos in timore Domini educaverit. Non opus est, aliorum dare interpretationes, qui per τεκνογονίας vel ipsum matrimonium, vel educationem liberorum, vel nativitatem Christi ex Virgine intelligunt. Has compilavit Wolfius ad h. l.

Supereft, ut quæramus, num, licet matrimonium pro Sacramento cum Pontificiis hand habeamus, tamen reliquias hujus dogmatis retineamus in decidendis de matrimonio controversiis. Ita existimant J. Cui Halenses, Thomafius in notis ad Lancellottum p. 779. lqq. J. S. Stryckius in diff. de reliquiis Sacramenti in matrimonialibus, & ill. Bæthmerus in præf. ad J. S. Stryckii opuscula, quorum tertiam partem diff. citata conficit. Ibi enim ita §. 10. sub finem: In eo errant nostræ

tes,

res, quòd causas matrimoniorum forenses non unice ex legibus positivis sed principaliter ex hoc typo spirituali dirimendas, imò leges ipsas ad hoc principium componendas statuunt. Atque huc redit mens illorum, qui cum B. Stryckio plura ad Sacramenti reliquias trahunt, id ipsum tamen improbant. Id quòd si rectè perpenderit vir pl. rever. PFAFFIUS, Theologus Tubingensis celeberrimus in instit. Theol. dogm. & moralis p. 791. non unice ad logomachiam omnia, quæ hæc de re traduntur, reduxisset. At: Sed in gratiam maximè amplissimorum DD. Jctorum, qui de hoc argumento tam proluxi sunt & reliquias Sacramenti ubique venantur, paucis notaverimus, in puram logomachiam totam hanc quæstionem abire, & totam hanc litem diffilari statim, ubi quæstiveris, quid intelligatur sub termino sacramenti? Non de terminis aut vocibus quæstio est. In eo latitat cardo rei, utrum sacramentum seu typus sanctissimus matrimonio in sacris adscriptus debeat esse principium dirimendi lites inter conjuges in foro externo? inter eos, qui brutorum more sæpè vivunt? qui legibus coactivis domandi? Ad verba hæc observamus I. falli Virum illustrem, si existimaverit, Sacramentum & typum rei celestis esse unum idemque. & Theologos nostros causas matrimoniales unice ex eo decidere, quòd matrimonium sit typus unionis mysticæ. Decidit enim has causas & quidem rectè ex verbis institutionis, à Christo explicatis, nempe Gen. II. 24. Matth. V. & XIX. ex I. Cor. VII. ex Lev. XVIII. non sanè ex ratione Sacramenti falsa vel typi. II. nullum esse profus Theologum, qui leges positivas matrimoniales ex ratione typi illius spiritualis explicandas velit, cum typus hic saltem illustret, non prober, nec nisi ferè in argumento de polygamiâ & divortio urgeri possit, & magis officia conjugum insinuet, quàm ad decidendas causas matrimoniales adhiberi possit. III. his rectè perpensis, non patere, controversiam, num matrimonium sit Sacramentum, hand esse logomachicam. Vide, quæ de hæc quæstione supra diximus, Tota res in definitionem vocis resolvitur. Id verò, quòd IV. notamus, nunquam diximus, omnia, quæ de matrimonio disputentur, ad logomachias abire. Nec, quòd V. observamus, quæritur hic, num typus iste unionis mysticæ, quam præ se ferre debet matrimonium, esse debeat quoque principium decidendi causas matrimoniales in foro externo, cum nemo Theologorum id unquam cogitaverit. Sed VI. hoc vel tandem nobis in quæstionem venit,

num

num nostri Theologi in determinandis causis matrimonialibus eas ne-
 tant consequentias, quæ profluunt ex ratione Sacramenti? Atque id est,
 quod pernegamus, licet quoque non inficiemur, & Theologos & JCtos
 antiquiores in decidendis causis matrimonialibus Jus Canonicum subinde
 incautiùs securos esse. Agedum, paucis diluamus argumenta Stryckii, qui
 contendit, nostros ex ratione Sacramenti varias adhaucdum in causis ma-
 trimonialibus deducere decisiones, etiamsi Sacramentum diffireantur,
 I. quia matrimonium ipsis sit negotium *spirituale* ad forum spectans
 ecclesiasticum. At profectò pro *mixto* habere illud potest, qui tamen
 in illo nullam Sacramenti rationem quaerit. Itane ergò nihil est spiri-
 tuale vel mixtum, quod Sacramentum non sit? Sed vide, quæ supra
 hanc in rem diximus. II. Quia retinuerint distinctionem inter spon-
 salia *de presenti* & *de futuro*, dicantque, priora esse indissolubilia, id quod
 dici non possit nisi propter *Sacramenti* rationem, cum sint secundum
 Jus Canonicum Sacramentum initiatum. Unde sit illud C. 1. X. de
 sponsa duorum: *Non enim rescindi tantum debet Sacramentum. Sed*
respondemus 1. in ultimis hisce verbis per Sacramentum ex notione vo-
 cis civili non intelligi nisi fidem conjugalem & consensum matrimo-
 nialem, qui cum 2. olim per *verba de presenti* conceptus fuerit, ejus-
 modi consensus *de presenti* fuit ipse consensus conjugalis, nostris verò
 temporibus esse non potest, quia declaratio consensùs matrimonialis
 non potest fieri amplius sine benedictione ecclesiastica, 3. distinc-
 tionem hanc inter sponsalia de presenti & futuro, quæ ex jure canonico
 malè à Canonistis conficta fuit, per consequens nullum hodie usum
 amplius habere, adeoque 4. ab antiquioribus Theologis & JCtis uti-
 que malè retentam & 5. contra mentem juris Canonici sponsalia *de*
presenti de puris vel de solis sponsalibus strictè sic dictis, *de futuro* ve-
 rò de conditionatis vel de desponsationibus impuberum, vel de tracta-
 tibus sponsalitiis sumpta esse, unde non potuit non manifesta oriri con-
 fusio, textibus juris canonici ad ejusmodi tractis sponsalia, quæ hoc
 sensu in eodem non sumpta fuere, 6. Nunquam tamen nostros, licet
 sponsalia de presenti subinde matrimonii ipsius, in sensu latiore sumti
 nomine designaverint, statuisse, illa esse planè indissolubilia, uti ma-
 trimonium strictè sic dictum, licet Jus Canonicum illa declaraverit
 indissolubilia, quia non amplius pro meris sponsalibus sed pro matri-

B

mo-

monio strictè sic dicto habuit, 7. multò minùs ea indissolubilia declarasse ob rationem sacramenti, ob quam neque 8. Jus canonicum eadem indissolubilia dicitavit, sed quia ipsum inferant matrimonium, ex primâ institutione, non ex ratione sacramenti, indissolubile. Jamenim promissio conjugalis dataque fides sacramentum heic ab Augustino dicitur. Nullas itaque hîc in nostrorum vel errore vel sententiâ videre licet Sacramenti reliquias. Taceo, & plures ex antiquioribus esse, qui distinctionem istam planè rejiciant. Vide saltem Gerhard. de conjugio §. 130. III. quia sint, qui statuant, sponsalia de futuro, & conditionata, jurata quoque, solvi per posteriora de præsentî & pura, licet non jurata, id quod nonnisi ex ratione Sacramenti dici possit. Sed vel per sponsalia de futuro intelligunt illi nudos tractatus sponsalitiis & ita rectè se illorum habere sententiâ, vel saltem saltem est, quòd ita sentire non possint, nisi ex ratione Sacramenti, quia nempe per sponsalia de præsentî Sacramentum matrimonii initietur. Certè ex aliâ ratione, licet prorsus invalidâ, agit Carpzovius, cujus verò mens si rectè inspiciatur, hæc est, Sponsalia conditionata posterioribus puris cedere in hoc saltem casu, ubi clandestina sunt. Hûc enim redeunt præjudicia ab illo allegata in Jurispr. Consist. L. 2. def. 70. IV. quia, cùm ad sponsalia publica ob rationem Sacramenti parochi requirant præsentiam Pontificii, & hodie in sponsalibus publicis communiter adhibere soleant Ministrum Ecclesiæ. Resp. 1. juxta Jus Canonicum per nuda verba de præsentî, etiam absque Parocho, Sacramentum confici matrimoniale, ita ut Conjuges potius, quam Parochus, sint causa efficiens hujus Sacramenti. 2. Si qui ex Protestantibus adhibeant Parochum, adhibere ut testem, ut Ministrum, qui precibus Deo commendat desponsatos eosque gravibus monitis & benedictione data ædificet. Itane ergò adhibere Ecclesiæ Ministrum ad reliquias Papatus pertinet atque indicio est, in rerum præsentîâ sacramentum confici? V. Quia Sponsalia publica præferant prioribus clandestinis sine testibus celebratis. Ast, si leges, si consuetudo ita ferant, ut in judiciis sponsalia sine testibus celebrata tanquàm illicita considerentur, quid quæso superstitiosi in hæc sententiâ later? Nec est, quòd ipsæ leges hîc accusentur, quasi ex occultâ sacramenti ratione præcipiant, quæ in sponsalibus publicis, non clandestinis supponatur militare ex prin-

principio Pontificio. Jam enim sponsalia verbis de presenti concepta in Jure Canonico etiam sine testibus facta sacramenti notionem gerunt. Porro sapientissima est lex, quæ testes ad Sponsalia requirit, cum sic fraudibus sponsalium clandestinorum eatur obviam. Opusne est coactam à sacramento rationem hinc comminisci? vel Magistratusne jus non habet, disponendi, qui sponsalia legitime & ratè celebrari debeant? Nec est, quòd ajas. sponsalia etiam clandestina ab iis inita, qui sui juris sunt, ex jure naturæ valida esse. Ita testamentum validum est ex jure naturæ sine testibus. Quis verò exinde colligeret injustum ergò esse, quòd septem testes requirant leges? Sunt hæc saltem juris naturæ permixtivi. VI. Quia statuant, sponsalia clandestina sine testibus contracta non quidem convalidari confessione contrahentium sed tamen concubitu. Sed, quid, si in re prorsus ab arbitrio Legislatoris dependente ita disponant leges & Doctorum præjudicia, in vim legis evalescentia? Nec refert, num in eandem sententiam loquatur Jus canonicum, cujus omnia scita rejicere velle nimium foret. Sed ais, Pontifices hinc allegare rationem Sacramenti, quod fiat per commixtionem corporum. Respondemus 1. itane ergò & nostris Legislatoribus idem imputari debet, qui alia ex ratione agunt, liberis provifuri? 2. Leo I. malè hinc citatur, cum Gratianus c. 17. caus. 27. qu. 2. verba ipsius corrumptat, quæ ita fluunt: *Cum societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, ut præter sexuum conjunctionem haberet in se Christi & Ecclesia Sacramentum, dubium non est, eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in quâ docetur nuptiale non fuisse mysterium.* In his verbis Leo I. aded non dicit, per commixtionem Corporum fieri Sacramentum, ut potius asserat, Sacramentum hoc fieri præter illam. Sensus verò est, in conjunctione cum servà & concubinâ non esse Sacramentum sive signum unionis spiritualis Christi cum Ecclesia, quia hæc à Christo in libertatem asserta & vinculum conjugii sit indissolubile. Vide Ep. 2. aliàs 92. ad Rusticum, Narbonensem Episc. in qu. 4. fol. 207. edit. Quænellianæ. 3. Innocentius III. c. 5. X. de bigamis non ordinandis, nec malè quidem, conjunctionem corporum, legitimam sc. dicit esse Sacramentum sive signum conjugii spiritualis inter Christum & Ecclesiam, sed exinde tamen non arguit, concubitu illicitum cum sponsa Sacramentum esse. Nec verò 4. contrarius hæc Juris Canonici sententia est, sacramenti rationem in conjunctione

atione conjugum corporali quærendam, cùm aliàs vel illud verbis de præfenti jam perfici existimet, vel in indissolubilitate matrimonii quærat. c. 10. *Causa 27. qu. 2.* Taceo s. sententiam hanc, quod sponsalia clandestina concubitu convalidentur, communem profus non esse. VII. quia sint, qui statuant, sponsalia clandestina invitis facta parentibus, convalidari per concubitum, id quod rursus dici non possit, nisi ex ratione, quòd per concubitum Sacramentum perficiatur, quod insolubilitatem post se trahat. Sed alias quidem rationes hanc in rem affert Carpovius, de quarum vi non opus est ut nunc disputemus, qui credimus, longè sapientiùs esse, ejusmodi sponsalia nulla declarare, quia sunt invalida in se, licet nec præscribi híc quicquam Legislatoribus possit, qui per legem in favorem partùs latam consensum parentum suppleendo ejusmodi sponsalia convalidant. VIII. Quia existimant, sponsalia non facillè dissolvenda esse sed desponsatos ad matrimonium compellendos. Sed opusne est hanc in rem ratione Sacramenti? Num igitur ad pacta servanda nemo sine ratione sacramenti in pactis latitantis compelli potest? Nec tamen compulsionem suaserimus sine ratione stringente. IX. Quia putent, sponsalia non dirimi utriusque desponsatorum consensu. Sed rectè quidem hoc determinare leges possunt, ne temerè incantur. Non opus est, ad sacramentum confugere. Unde nec transigere híc licet, nisi transactionem roboret Magistratus. X. Quia sint, qui statuant, juramentum contra sponsalia non admittendum. Subesse híc iterum rationem, quia sponsalia sacramenti rationem habeant. Sed longè alia est ratio, cur juramentum híc admittendum non esse quidam ajant, quia sponsalia supponuntur clandestina, in se invalida, & si híc vel illic valida sint, ex formidine perjurii sapientiùs est, juramentum non admittere, atque, ubi aliæ desunt probationes, actore non probante, reum absolvere. Jam vero & heic pro arbitrio Legislator disponit, etsi nulla sacramenti idea mentem ipsius imbuat. Taceo, quæstionem esse de sponsalibus, & quidem dubiis, Sacramenti notionem planè haud habentibus. XI. Quia ad consensum matrimonialem declarandum requirant ritum benedictionis sacerdotalis, quæ sit merum inventum Pontificiorum ad notionem Sacramenti matrimonio inferendam. Heic observamus 1. sapientissimè Legislatore solennia nuptiarum determinare, ut certò sciri possit, quisnam matrimonium re verà iniverit, nec ne? 2. Ejus-

Ejusmodi solennia apud omnes gentes, moratas saltem obtinuisse & olim & nunc obtinere. 3. In arbitrio Legislatoris positum esse, solennia ista determinare. 4. Legislatorem Christianum sapienter prorsus benedictionem Sacerdotalem hinc requirere. Decet, conjuges Christianos benedici à Ministris Ecclesiæ. 5. Benedictionem hanc esse longè antiquissimam, id quod demonstrârunt, qui de hoc argumento scripserunt, Hildebrandus, Pfannerus, Müllerus, Schelguigius, Hochmannus, Binghamus. Falsissimum itaque est 6. quod ait J. S. Stryckius, ante Leonis Imp. tempora ritum hunc non fuisse usitatum, sed demùm ab eodem introductum nov. 89. cùm Imperator hinc eundem saltem in Ecclesiam Græcam reduxerit, tantisper antiquatum, non in Latinam, ubi frequentabatur ille. Vide qu. 5. caus. 30. de nuptiis clandestinis. 7. Benedictionem sacerdotalem non esse necessariam in se, sed saltem ex lege, licet aboleretur incongruè. 8. parere ex jure canonico, quòd conjunctio conjugum per verba de præsentia jam sit sacramentum, nondum accedente benedictione sacerdotali. 9. Pontificios statuere, non Sacerdotes copulantes, sed conjuges esse causam efficientem & ministrum Sacramenti. 10. Legislatorem quoque, licet nullam sacramenti rationem habuerit, determinare potuisse, copulatio per Sacerdotem ut in Ecclesia fiat. Quid opus est, rem innocentissimam ad reliquias sacramenti referre? Ita mandata Principis in Ecclesiis prælegenda sunt ex ipsius statuto. Quis verò hinc somniaverit, id ex capite sacramenti fieri? Ut taceamus, & in privatis ædibus quæ per dispensationem fiunt, copulationes legitimas censerit. XII. Quia vocent matrimonium den heiligen Ehestand, sc. ex ratione sacramenti. Sed non vocandum hoc nomine illud est, nisi quia sanctificatur per preces 1. Tim. IV. 5. sanctè gerendum est & sanctitatis notionem affusam habet ex figurâ conjugii spiritualis inter Christum & Ecclesiam, quam gerit. Itane ergò nihil aliud sanctum vocari debet, nisi quod Sacramentum sit? XIII. Quia sponsalibus publicis prioribus præferant posteriora, quæ copula sacerdotalis accessit. Sed & heic pro arbitrio statuit Legislator & sapienter quoque hoc ipsum determinat, ne actus iste solennis, quo consensus matrimonialis declaratur, abeat in ludibrium. Hinc banna ecclesiastica, post quæ insequente copula sacerdotali silentium indicitur protestaturis, qui sibi habeant, quòd filuere. Rectè heic Stryckius sibi obvertit, Jus Canonicum posteriora sponsalia rescindere. Sed malè tùm respondet, quando ait, textus Juris

Cano.

Canonici non de copula sacerdotali sed carnali agere. Etenim c. 30. X. de sponsal. ita habetur in terminis: *Is, qui fidem dedit mulieri super matrimonio contrahendo, carnali copulâ subsecutâ, ET SI IN FACIE ECCLESIE duxerit aliam & cognoscat, ad primam redire tenetur.* XIV. Quia statuunt, sponsalia sine consensu Parentum contracta per copulam sacerdotalem abire in matrimonium, indissolubile illud. Sed hoc quidem & ipsum dici potest sine ratione Sacramenti, statuique à Legislatore, uti in priore casu. Alius est casus copulæ sacerdotalis, per dolum obtentæ vel illegitimè factæ. XV. Quia non rescindant matrimonium contra gradus prohibitos contractum. Sed & in hâc sententiâ nulla sacramenti notio jacet, cum, qui hoc statuunt, ex aliis profus rationibus agant. Jam & nuptiæ in gradibus prohibitis nullæ sunt, adeoque notionem sacramenti habere non possunt. XVI. Quia putent, matrimonium putativum non esse rescindendum. Sed verò Carpzovius, qui hîc refutatur, historicè saltem refert textum Juris Canonici, non approbat. Nec subesse hîc potest ratio sacramenti, quæ in incestum non quadrat. XVII. Quia ajant, matrimonium per dolum contractum non esse rescindendum sc. quia sit sacramentum. Sed cum inter dolum circa essentialia & accidentalia sollicitè distinguant, ajantque, illum nullum reddere matrimonium, hunc secus, in salvo res est. XVIII. Quia statuunt, matrimonia, licet contra leges humanas contracta, post insecutam benedictionem sacerdotalem rescindi non posse. Respondemus, fieri id ex Legislatorum sententiâ, qui pœnam saltem contravenientibus imponunt, nec irritare cupiunt matrimonia, lege divinâ permittâ. XIX. Quia favorem matrimonii nimis amplificent & in casu dubio pro matrimonio pronunciant, quod non fieri possit, nisi ex eâ ratione, ne forsitan dissolvatur sacramentum. Sed & heic nulla est sacramenti vis ad mentem hanc nostris ingerendam, queis favor pro matrimonio est favor pro liberis, pro uxore, ad sanandam causam vulneratam, id quod utique consultius est. Vide supra n. 6. 7. 8. XX. Quia bigamiæ pœnam statuunt capitalem. Licet verò heic existimemus, duriorem hanc pœnam esse, tamen & bigamia adulterio majus est crimen, quod est adulterium publicè contractum per dolum publicum & solennem, quo circumvenitur cum Ministro Ecclesiæ benedicente Magistratus, adeoque elatâ manifestè peccatur magis quàm in adulterio magis clandestino. Pater ergò, Protestantes in decidendis casibus matrimonialibus nunquam ex ratione sacramenti agere, id quod erat demonstrandum. Vide tamen & Elfvichium l. c. Quod restat, nec sacramenti notio indissolubilitatem vel inannullabilitatem matrimonii secundum sententiam Pontificiorum parere potest, cum juxta illos in hoc sacramento non imprimatur character indelebilis, uti alibi monuimus.

F I N I S.

Tübingen, Diss., 1736-40

ULB Halle

3

004 785 010



f


TA → OL

neu 1 + 3 Stücke verknüpft

W18







O. D. B. V.

DE

1736, 6.
6

VULLITATE
CRAMENTI
N MATRIMONIO

ET

QUIARUM SACRAMENTI
REGISSIONE CAUSARUM MATRI-
NIALIUM APUD PROTESTANTES

PRAESIDE

STOPH. MATTHÆO
PFAFFIO,

Theol. Doct. & Prof. Prim.
Univ. Cancell.

id d. Jan. Anno MDCCXXXVI.

disputabunt

STOPH. ALBERT. WINCKLER, Boebling.
ERICUS HENRICUS DENZEL, Backnang.
S. Theol. Studiosi in illustri Stipendio.

TUBINGÆ,

Litteris SCHRAMMIANIS.

